



L  
L  
L  
b  
G

E

EPITAPHIUM  
IN ORNATISSIMI ET  
DOCTISSIMI IUVENIS MARCI

**E** LORLEBERGII, Clarissimi viri IUSTI LOR-  
LEBERGII I. V. Licentiati &c. filij obitum, omni-  
bus bonis & pijs luctuosissimum, quem cognati nefario au-  
su in patria 4. Decembris Anni 77. furiose interemptum

DEVS εις τον ουρανόν παραδεισθησιν και ησθον τον τω θρανον πολιτευμας

placide ad se recepit: Scriptum

& editum ab

ANTONIO BOLMERO HAME.  
lensi, Diuini verbi ministro,



SEDINI 1578.

Samueli Rich-  
Lobenburgian  
optimo viri  
Bolmer

DE VITA HOMINIS DIALOGVS.

ADOLESCENS.

**D**ic venerande Senex, humanum viuere quid sit,  
Illius vt possim certior esse rei?

SENE X.

**A**vspicor á lacrymis, in ijsdem finio vitam,  
In lacrymis vita est tota peracta mihi.  
Principium vitæ dolor est, sic exitus ingens  
Est dolor & medium, viuere quis cupiat?  
Certa etiam mors est, sed tecta est funeris hora,  
Extremam idcirco quamlibet esse puta.  
Disce mori, prodest semper meditatio mortis,  
Et procul à terris pectus in astra leuat.



**E P I T A P H I V M**  
**ORNATISSIMI ET DOCTISSIMI**  
 Iuuenis MARCI LORLEBERGII, à pro-  
 prio cognato nefariè in patria perempti,  
 4. Decemb. Anno 1577.

*Defunctus loquitur:*



*Vi pater antiquis par oratoribus arte  
 Hamelia Lorlberg IVSTus in vrbe fuit,  
 Marcus in exigua iaceo Lorlbergius vrna  
 Extinctus fato (proh) properante nimis,  
 Nam cum Leucorea nuper digressus ab vrbe  
 Accedo patriæ limina chara domus:  
 Hic pater occurrit nato, me mater in vlnis  
 Confouet, & reditu letus vterq; meo est.  
 Ad Sponsi & Sponsæ leti conuiuia secum  
 Me ducunt, reditu letus vterq; meo.  
 Tempore non longo durant sed tanta parentum  
 Gaudia: quam breuis & quam breue vita bonum.  
 Cum color vnus inest rebus, tenebrisq; teguntur  
 Omnia, clam latro stat, cinctus & ense latus.  
 Et temerè abruptit mihi debita tempora vitæ  
 Trux homicida in me dum ruit ense fero.  
 Ferro instabat atrox, me nulla pericla timentem  
 Luctu mox subito nox inopina premit.*

*Causa nec ulla fuit cædis tantiq̄ furoris:  
Non illum mites erudiere Deæ.  
Invidia premitur, quem virtus subleuat, & cui  
Iura fauent, hominum vis inimica nocet.  
Charus eram doctis peregrinus in vrbibus hospes,  
In patria sed me mors violenta premit.  
Vrbibus in multis mihi vitæ semper honestas  
Profuit, in patria profuit vrbe nihil.  
Sic sua tractârunt IESVM quoq̄ mœnia Christum,  
Qui sapit á patria non petat vrbe decus.  
Dulce est in patria charos spectare parentes,  
Vnde Deo vitæ semina dante trahis.  
Dulce est in patria charos spectare parentes,  
Ipforum vt possis lætior ore frui.  
Expectas aliquem sed si malè cantus honorem  
In patria, tua spes vel bona, vel nihil est.  
Sed mihi mors lucrum, mihi vitæ semina nouit  
Reddere, qui quæ vult omnia Christus habet.  
Nemo me lacrymis nigra tellure sepultum  
Urgeat, est mihi nunc pax & amica quies.  
Restituet vitamq̄ mihi, formamq̄ priorem  
Filius ipse DEI, lux mea, vita, salus.  
Siste parens lacrymas, hac spe viuamus, & illa  
Solemur vitæ damna prioris, Amen.  
Antonius Bolmer Hamelensis pastor Eccles  
siæ Dei in Eddesse & Deenhausen, F.*

*Aliud*

ALIVD in eiusdem obitum.

**L**ycanum Senecamq, sui duo lumina secli  
Sustulit ille orbis crimen onusq, Nero.

Exceptit sicam fandi ter maximus autor  
Antoni furys exagitate, tuam.

Sæue Nero, sæue Antoni sed sæuior illis  
O Girsvalde, tuis sæuior insidijs.

O Girsvalde tuæ mentis dementia quanta?

Qua temerè & subitò, cœu fluit vnda, ruis.

O Girsvalde tuæ mentis dementia quanta?

Qua tantum iuuenem cædere sustineas.

Tantum, inquam, iuuenem, quem doctis fouit in vlnis

Leucoris vrbs, & amat quem studiosa cohors

Antistes Iuris, sacri Iurisq, sacerdos,

Iusticiæ cultor moxq, putandus erat.

Quid tibi pro factis precer ô Girsvalde, tuis quos

Exuperas factis, equipares obitu.

Eodem autore Antonio Bolmero.

ALIVD in eius obitum.

**M**arcus mandauit modò marcescentia membra  
Lorleberg huic tumulo, Mens viret ipsa DEO.

Eximius Iuris cultor, virtutis alumnus,

Præclarum patrij stemmatis atq, decus.

Cui pater Hamelia Lauromontanus in vrbe

IVSTVS Serat, Iuris maximus inter auos.

Mox ubi Lencorea redisset ab vrbe, parentes  
Excipiunt natum, molliter atq; fouent.  
Nocte celebrantur Sponsi conuiuia leta  
Et Sponse, natum gaudet adesse pater.  
Sed quia leta solent tristes per sæpè dolores  
Afferre, hinc etiam gaudia tanta silent.  
Tantaq; non spacio perdurant gaudia longo,  
Inuidus adest latro non procul inde latet.  
Vix possum factum (proh prob) meminisse nefandum,  
Tu Girs walde furens sis latro seuus, atrox.  
Is cum fortè foràs exisset Marcus in ipsa  
Nocte, ferox nebulo quæris adesse simul.  
Profilis ab citius, cum vix tria verba locutus  
Esset, in incautum cinctus & ense ruis.  
Perforat ære pium iuuenem tua dextera, nullam  
Ob causam, Inuidiæ mens tibi plena fuit.  
Sic solet edoctos tellus coluisse prophetas  
Patria, sic suevit præmia iniqua dare.  
Ecce cadit subitò Marcus sua lumina claudens,  
Sic animam à iuuenis corpore scindis atrox.  
At licèt immeritum seuo ferus ense necasti,  
Propter quod leuis haud te quoq; pœna manet :  
Non tamen ipsius valuisti perdere mentem  
Ac animam, virtus post sua fata viget.  
Sed quo res redijt ? Nonnè hinc peregrinus & exul  
Cogeris à patrijs semper abesse focus ?

Sic



*Sic fit, sic agitur, sic est sua pœna latroni,  
Inunc cum factis perditæ latro tuis,  
Maxima mors Marco miseranda morte perempto  
Usura est, vitæ mors sua fœnus habet:  
Maxima sed Marci misera mors morte perempti  
Pœna tibi latro est, fors tibi tanta venit.  
Felix est Marcus, sortem quia vicit iniquam,  
In Christo summum possidet ipse bonum:  
Tu verò infelix latro & miserabilis exul  
In mundo semper percipis omne malum  
Hanc tibi peruersæ tribuit dementia mentis  
Pœnam, quam simili iam ratione feras.  
Salve Marce, iterum salve popularis, & ipse  
In Christo æternùm viue valeq; DEO.  
Tu melius vinis cœlesti sede receptus,  
Te tenet aula DEI, nos lacrymosa dies.  
Ergo tibi tanta semper de sorte salutem  
Esse rogo, in Christo viue valeq; DEO.*

*IO ANNES BOLMERS IV.  
nior, Hamelensis, conterraneo suo in Christo  
carissimo, E.*

*Epitaph*

# Epitaphium

CATHARINAE STEINEKEN CONIV-  
gis Hermanni Bolmeri, quæ, vbi molestissima tussi  
superata est, Christo animam suam com-  
mendans placidè expiravit.

*Defuncta ait :*

C	oniunx Bolmeri pono hoc sub marmore corporu	S
A	nece dum rapior : Sic mea fata volun	T
T	erra fui, me terra tulit, nunc terra tegit m	E
A	st terra surgam voce iubente De	I
R	ex qui Christe tibi dilectum colligis agme	N
I	pse tui membrum me agminis esse sin	E
N	unc quoq; da placidè requiescam corpore, done	C
A	duenies iudex Christe sonante tub	A

Obijt Anno I 576.

Ioannes Bolmerus Iunior filius matri  
suae dilectissimæ F.



# ALIVD

**E**Rgône bis senis exacto mensibus anno,  
 Omine felici lux exoptata refulget,  
 Qua digitos rutili circumdat circulus auri,  
 Et tua daphnea cinguntur tempora fronde,  
 Signa Magisterij: Quòd nempe labore peracto,  
 Propter aquas Clarij fontis captare quietem,  
 In medio hujugi dederit tibi vertice collis  
 Musarum Rector, qui sacro praesidet horto.  
 Quam lucem nostris quanquam celebrare Camœ-  
 Pollicitus fuerim, cum laurea bacca capillos (nis  
 Ambiret, ratus optatas felicius vndas  
 Me forte haustrum: Tenuis sic nempe Camœnas  
 Solabar: largo tum labra liquore rigabo,  
 Accedens propius riuum, qui fonte perenni  
 Castalias iaculatur aquas, & nomine Nymphæ  
 Callirhoës gaudet, quo docti carmina Vates  
 Conscripsere hausto, Musis & Apolline digna.  
 Quos inter quoniã quota spes ego nomen habere  
 Sorte vetor, coeptis adeo contraria votis  
 Quæ perstans, toties me spe delulit inani,  
 Praestaret, tacuisse reor: ni forte reposcat  
 Fœdus amicitiaë, promissis addere facta.  
 Quocirca meritò tantum tibi grator honorem,  
 Conferri, quoniam terris iactatus & vndis  
 Durare & rebus temet seruare secundis  
 Duxisti: nunc tranquilla statione potiris,  
 Mollibus in pratis, & amœnis Phocidos aruis.

Nam ceu purpurei quando sub tempora Veris  
 Candida turba venit, certo velut ordine facto,

B

Quæ

Quæ nimium fertur longis inuisa colubris,  
Cum flores hortis, nudis cum gramina campis  
Læta redire solent, tumido cum cortice gemmas  
Palmes agit, terræq; tument, & semina poscunt:  
Fortibus inuertit tauris, bonus, arua colonus,  
Suspendens terram sulcis, & pondera rastro  
Vi tollens magna, glebas confringit inertes,  
Ferratasq; trahit crates, ne segnīs in aruis  
Carduus & lolium, & steriles dominantur arenæ,  
Pro largo Cereris prouentu, atq; vberē fructu,  
Aut lætus, duros gaudet iactare bidentes  
Vinitor, atq; graui terram exercere ligone:  
Vt quando nostro fugientes Orbe recedunt,  
Quæ fera pignæis meditantur bella volucres,  
Multiplices ponat fœtus Autumnus: & ipsæ  
Agricolis multo rumpant cum fœnone messes  
Horrea; & apricis maturas colibus vuas,  
Pro varijs curis, durisq; laboribus actis  
Impigro agricolæ vindemia læta rependat.  
Haud secus Aonios ante annū carpere odores  
Ducebat Phœbus te dignum, & munere ferti  
Compositi ex lauri folijs: vt pectore forti  
Continuans grandes curas, cœptosq; labores  
Musarum in castris, iuga celsa, atq; inuisa tesqua  
Ascensu superans, venerandi in vertice montis  
Argutas posses Musas equare canendo.  
Quæ voluens animo, susceptis quicquid acerbis  
Accidit in studijs, infracta mente subibas.  
Namq; gubernator cantusq; lyreque sonore  
Quem, viridi vt præsens numē complecteris æuo,  
Vt tot ventorum tempestatumq; procellas

Perfers

Perferres, vires suffecit, & ampla rependit  
Præmia curarum, vigilatorumq; laborum  
Nunc tibi. Nec frustra doctorum scita sopherum  
Voluisti manibus, non iustum lumine somnum  
(Quo celeri iuga celsa gradu contingere posses.)  
Accipiens, lasa non blandam mente quietem,  
Altè vestigans animo, quæ cura beatos,  
Reddat, & æternis commendet nomina cedris.  
Nam te non mæsis vanis eludit aristis:

Verum exoptatis Autumnus fructibus instans,  
Innumero foetu, magno cum fœnore reddit  
Quæ sibi credita erant: Olim (si ritè recordor)  
Iucundos saltem carpississe iuuabat odores:  
Nunc ipsos recipis fructus, & præmia Phœbi.

Nec tantum Vernus, nec flos fuit ille caducus,  
Hactenus, ah suavi tibi qui spirauit odore,  
Atq; dedit vires tot tædia dura viarum  
Vincere: sed clario semper qui floret in horto,  
Et ventos, pluias, æstus, & frigora spernit,  
Hic tibi, qui celeres in amati culmine collis  
Nunc sistis gressus, dulciq; quiete potiris,  
Tempora circumdans diuinæ Palladis arces,  
Iam Musas colere, atq; ipsarum anplexibus vti,  
Viuerè apud Musas, doctum confingere carmen,  
Sit tutum, & totum castis te tradere Musis.

Hæ tibi monstrabunt stellantis sidera cœli,  
Ac ortus rerum varios, causasq; latentes,  
Vnde tremor veniat terris, vnde imber & ignes?  
Mortales animos quidnam perfectius ornet?  
Ardua num Virtus, an vero blanda voluptas?

Salve Heliconiadum coetus cupidissime salve,  
Aoniꝝ salve decus & noua gloria montis.  
Nunc dulcescentes miti sub pectore curas  
Autumno sentis: Nunc qui tibi visus amaror  
Est labor in studijs, amor est & grata voluptas.  
En manibus iunctæ Charites, mistæq; sorores  
Vitiferis vltro. Claræ de collibus absunt:  
In medioq; chelyn qui pectine pulsat eburno  
Obuius ecce tibi incedens, fragrantia ferta  
Virgineo contexta manu de floribus offert,  
Quos fons Gorgoneus fœcundis irrigat vndis,  
Aeternum Phœbi monumentū & pignus amoris.  
Aspice Palladiæ turbæ quæ signa fauoris  
Ostendant, & quàm prona tibi munera mente  
Debita sidere i scrutator Zeysus Orbis  
Conferat, à Phœbo cui tradita tanta facultas.  
Vtere muneribus, concessis vtere donis,  
Nominis ad sancti laudes, patriæq; salutem:  
Quo tibi sine datum, titulis & honore potiri  
Hoc facit Autumnus, qui non sibi munera tantum  
Promit, at agricolis vberissima dona reportat.

BALDASSAR WALTHERVS

Junior L. S.

ALIVD

PROpter aquas Viadri vestigia sola ferebam,  
Vt primum Phœbus instrabat lampade terras  
Igniuoma, & noctis tenebras lux orta fugarat:

Hic

Hic ego sollicito meditor dum pectore casus  
Priuatos, qui me prefferunt tempore ab illo,  
Quo patriæ fines & dulcía mœnia liqui.  
En Atlantiades dictis me talibus vltro  
Obuius inuadit: tu nunc turbatus & expes  
Præteritos luges mœrenti. voce dolores  
Incaſsum, ô Mufæ rerúmque oblite tuarum  
Sume animum rursus, post nubila postque procellas  
Purpureis tibi fulgebit lux candida bigis,  
Ne dubita, nam vera fero tibi nuncijs alto  
Demissus cœlo: curas dispelle seueras.  
Et cole Pierias solers, velut ante, sorores.  
Nunc se materiés verò pulcerrima monstrat,  
Dum iuuenis, quo se Selouia patria iactat,  
Planè insperatos est accepturus honores.  
Excute torporem gelidum: non plura locutus  
Mercurius tenuis se condidit aëris aura.  
Obstupui primùm monitis ac numine tali:  
At rerum cœpitandem memor esse mearum,  
Iussaque Pierias in carmina poscere Musas:  
O iuuenis decus & spes non fallenda tuorum  
Pistori, meritò tibi decernuntur honores,  
Quandoquidem doctas coluisti sedulus artes.  
A teneris annis: cura hæc in pectore sedit  
Præcipua & vel prima tuo, cognoscere verum  
Non ficta pietate Deum, precibusque profusis  
Assiduò supplex colere auxiliòque vocare.  
Indè tibi indulſit mitis clementia cœli  
Diuitis ingenij dotes, & mentis acumen,  
Viribus ergò petens summis Heliconia Tempe  
Multùm exhausti nocturnis dieque laboris.

Fragantes Sophiæ formosa uireta recessus  
Lustrasti, & rerum naturas ordine iusto  
Vestigans longum triuisti indagine tempus,  
Inde tibi pulchra famam cum laude parasti:  
Iamq; Magisterij dignos tibi donat honores  
Fundata ad Viadri umbrosas Academia ripas,  
Doctorumq; tibi gratatur turba virorum  
Ominibus faustis decus, & comitatur euntem.  
Tempus erit, quando patriæ patriq; patriq;  
Proderis, & fida consanguinitate propinquis  
Dexteritate tui ingenij curaq; sagaci.  
Vtq; peregrinas tendit mercator in oras,  
Sive domos Arabum calidas, Nabathæaq; regna,  
Seu fortunatas fausto sub sidere terras,  
Quas interfusus Mauri æquoris alluit ætus,  
Et quando nauem quæsitis mercibus altam  
Prouidus impleuit, plenis petit ostia velis  
Patriæ: Sic veniet voluendis mensibus annus,  
Quo patriæ portum tua fessa carina subibit,  
Mercibus aucta bonis, non quæ de gente Sabæa,  
Vel de fede Arabum venere, vel Ausone terra,  
Verum frondenti Parnassi è vertice montis.

Hæc ego Mercurij monitu dum carmina pangēs  
Carpo viam ad ripas: taurinæ cornua frontis  
Sustollit Viadrus, lætusq; his vocibus infir:  
Maçte bonis animi, maçte ô virtute fidēq;  
Pistori nostræ non infima gloria terræ.  
Te meus eximio nunc ornat honore Senatus,  
Suspicit vrbs, populusq; omnis, iuuenesq; senesq;  
Præcipue tamen in stadio quos iuuat eodem  
Egregios animi iuuenes decurrere tecum,

Sci-



Scitaq; multorum lustrare obscura virorum.  
O fœlix pietate tua, virtutibus aucte  
Præclaris, generisq; tui celeberrima fama.  
Sic ait illum omnes læto clamore sequuntur  
Naiades, & ducunt ad littora pulsa choreas.  
Ipse pater Viadrus verò non plura moratus  
Spumanti glaucum rursus caput abdidit vnda.

MARTINVS NEVIVS  
Neostadiensis.



Dec. 197

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to its orientation and fading.

MARTINUS NENTIS

Amstelredamum



197



BIBLIOTEKA KORNICKA

13804~

13809